



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorum Liber ... Hoc est,  
Collectio Veterum monumentorum, quæ hactenus  
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1680**

Poggij Florentini oratio in funere Leonardi Aretini.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14718**

summos viros tanta posteritatis cura teneret, ne quid homines de se post mortem existimaturi forent usque adeo laborarent, si aut interirent animi nostrum morte, aut virtutis præmia hoc exiguo vitæ spatio finirentur. Cùmque patria sua cuique sanctissima sit, ac pietas maxima illi debeat, qui pro illius salute libertateque bellando ceciderunt, nequaquam ambigendum est sempiterna illis præmia in cælis esse reposita. Nos igitur his rationibus beatum hunc & viventem & morientem non immeritò ducimus, cùm prosperitate rerum externarum, quæ illi præcipua & illustrissima contigit, tum multò magis ob animi bona, quæ fortitudine, modestia, ceterisque virtutibus splendidissimè continentur, vita cum omni dignitate prosperitateque transacta, & mortis genere admodum glorioso, publici insuper funeris honore & perpetua civium suorum commendatione felicem.

ORATIO POGGII IN FUNERIBUS  
*Leonardi Aretini.*

Ann. 1443.

**H**odiernus, Florentini, dies atque hic publicis mæror communi voluntate susceptus declarata quanta hujus præstantissimi atque omni laude dignissimi viri virtus extiterit, & quàm cara & gratissima universæ sit civitati, cùm videamus omnes magistratus hujus urbis, omnium ordinum consensum, universum populum ad ornandam hanc funeris pompam una mente suis deceris ultro in eandem sententiam convenisse. Nullus est enim qui se civem esse existimavit qui non suum studium atque operam præstitit ad cohonestandas hominis exequias optimè de repub. meriti, & ejus cui parem rara secula protulerunt, Magnum quippe & præclarum hoc testi-

monium virtutis est & laudis, & mea sententia plurimi æstimandum. Is enim justus & verus est honor qui soli virtuti sponte conceditur & rectè factis, non qui aliunde quæritur, aut precibus est aut suffragiis hominum mendicatus. Non generi, non majoribus, non parentibus Leonardi, non amicis rogantibus, ii honores tribuuntur, sed probitati, prudentiæ, continentiæ, integritati vitæ; ut non externo opere quæsitus, sed à sola virtute profectus appareat. Itaque cum cetera vitæ commoda nobis quærenda sunt, tum verò maximè virtutis ratio omnino appetenda, cum tanta illius cultoribus tum vivis tum mortuis sint honoris præmia constituta. Licet autem satis fructus virtutis in ipsa virtute positus videatur, tamen ad laudem quoque confert & posteritatis memoriam ab his diligi, coli, ornari, prædicari qui & ipsi in laude vixerunt. Sed mihi pietas præcipuè civitatis, tum celebris hoc in ornando funere civium frequentia maximè laudanda esse videtur, qui hujus singularis viri memoriam tam grata significatione benevolentiam prosequantur. Quæ res tum spectat ad mortui gloriam singularem, tum vivos excitat ad capeffendum eum vitæ cursum quem propter conspiciant hunc civem tales honores consequutum ac tam carum reip. extitisse. Quamvis autem Leonardi virtus nullius externa laudationis opera egeat ad se ornandam, quippe qui sibi vivens laudem peperit immortalem, tamen præstandum est à nobis debitum officium amicitiam nostræ, quæ jam amplius annis quatuor & quadraginta inter nos similium studiorum cursu cœpta semper viguit sanctissimè absque ulla querela aut benevolentiam intermissione. Solent quandoque inter amicos dissensiones, jurgia, & contentiones exoriri, ut intermissio quædam benevolentiam fieri videatur. Sed nostra semper inviolata permansit animorum

conjunctio, quorum amorem nullius unquam dissidii causa distraxit. Et id quidem jure inter nos contigit. Ea namque vera est ac stabilis amicitia quam optimarum artium studium & bonorum morum similitudo contraxit; quæ quoniam mutua benivolentia & officiis fovetur, necesse est ut ita sit firma ac diuturna. Et licet ab omnibus doctis ac eloquentibus viris hoc munus postuletur ut famam ejus qui hujus seculi nostri & doctorum omnium maximum suum ornamentum celebrem reddere ad posteros debeant, tamen id præcipuè à nobis suo quodam jure videtur exigere jus nostræ amicitiae & voluntatum studiorumque conjunctio; ut in quem vivum summa beneficia contulimus, defuncti quoque memoriam aliquo munere afficiamus. Sed antequam de eo quod proposui dicere aggrediar, paucis mihi queri liceat de communi omnium nostrum conditione, quæ mihi in angusto nimis & in incerto rerum statu videri esse posita, deque factorum injuria, quæ me omnibus his privarunt quos mecum ab ineunte adolescentia litterarum studia summa caritate & benivolentia devinxerunt. Nam primò communem doctorum omnium parentem Colutium Salutatium humanissimum ac doctissimum virum, tum Robertum cognomento Rufum, deinde Nicolaum Nicolum, viros omni litterarum genere & humanitatis studiis præstantissimos, deinceps omni virtute virum celebrem Laurentium de Medicis, pluresque alios summa mihi amicitia conjunctos eripuit nobis. Restabat hic unus veterum studiorum & quasi renascentis olim academici socius, quocum non solum studia sed cogitationes quoque communicare solitus eram, revocans sæpe sermones nostros ad illam prioris ætatis nostræ jocunditatem, cum omnes hi viverent quos modo nominavi. At hunc quoque in ipso fructu laborum suorum interceperunt, ostenderuntque nihil ex-

Vide Aretin.  
lib. 1. epist. 1.  
& seqq.

tremo die esse incertius, nihil hac nostra infirmius  
vita. Et quidem hic obitus nos admonet magis de  
futuro quam de præfenti tempore esse cogitandum.  
Incertus est enim ac dubius status vitæ, fragilis ho-  
minum natura, corpus imbecille & quod multos su-  
beat casus. Nam si, ut inquit Varro, homo bulla est, eo  
magis senex. Erat Leonardus noster septuagenarius,  
tamen valido corpore ac robusto, quippe qui raro  
adversam valitudinem sit expertus, ut nihil ei ad  
præfens quam mors repentina extimescendum esse  
videretur. Sed nihil nos fallit magis quam quòd  
nemo adeo senex est quin annum, ut scribit Cicero,  
speret se esse victurum. Quo fit ut longiùs quan-  
doque trahamus res nostras quam deceat viros sa-  
pientes & cogitata vitæ ratio postulet. Mors enim  
a tergo instat, & conatus nostros, quamvis hone-  
stos, in medio apparatus interfcindit atque abrum-  
pit, & omnia secum aufert, nisi quæ virtute & vi-  
tæ bonitate fuerint comparata. Itaque perbeati meo  
iudicio illi æstimandi sunt quorum vita non hac bre-  
vitate temporis circumscribitur quæ omnibus ani-  
mantibus est communis, sed ad posteros longo in-  
tervallo virtutum beneficio propagatur. Quamvis  
autem nihil sit in morte mali, neque post ipsam  
quidem, his qui justè & rectè vixerunt, (nam in ea  
vitæ anteaactæ viri boni præmia adipiscuntur, tota-  
que vita sapientis nihil aliud quam mortis meditatio  
esse debet) tamen dolendum est nobis, qui reliqui  
sumus talium virorum præsidio & virtute privati.  
Etenim mors non his desflenda aut misera videri de-  
bet qui diem obeunt, si justitiam coluerunt, sed  
illis potiùs qui supersunt. Illi enim fortunæ omne  
arbitrium effugerunt, his novarum rerum impetus  
pertimescendi. Illi suum finem, in quo est vitæ per-  
fectio, sunt sortiti; aliis asperum iter agendum. Quò-  
però meliores habentur fines quam ea quæ ad finem

spectant, eò sapientis mors melior perfectiorque  
 quàm hæc vita æstimanda est. His mors gravis esse  
 debet quorum vita morti est similis, nulli virtuti con-  
 juncta. Quibus autem perpetua laus & gloria vita-  
 que anteauctæ fructus proponitur, ii mortem æquo  
 animo ferunt, tamquam laborum finem & præmia  
 meritorum. Quoniam verò (ut jam redeamus quò  
 nostra defluxit oratio) illius laudes sumus profe-  
 quuturi cujus nulla pars vitæ laude vacavit, in  
 eas distribuemus ut tum vitam omni commendatio-  
 ne exactam, tum opera quæ in nostram utilitatem  
 edidit recenseamus. Natus est hic Aretii civitate  
 admodum antiqua ac maximè nobili & olim inter  
 capita Ethruriæ, cùm ea potens viris armisque esset  
 æstimata. Hæc olim urbs adeo opibus virisque mag-  
 nifica & opulenta fuit ut eam solam quondam P.  
 Scipioni ad bellum Punicum proficiscenti triginta  
 millia scutorum pollicitam esse, galeas totidem,  
 pila, gæsa, hastas longas milia quinquaginta, sum-  
 mamque pari cujusque generis numero expleturam,  
 secures, rutra, falces, alveolos, moles, quantum  
 in quinquaginta longas naves opus esset, tritici cen-  
 tum & viginti milia modia, & viaticum decurioni-  
 bus remigibusque allatura T. Livius refert. Magna  
 profectò potentia, amplitudo, opulentia ejus civi-  
 tatis censenda est quæ tantum ad belli Punici expe-  
 ditionis attulit quantum universa Ethruria vix ho-  
 die possit efficere. Sed & nostris quoque temporibus  
 duabus rebus quibus honor & fama præcipue  
 acquiritur semper claruit, militari gloria, & studiis  
 litterarum. Multos illa civitas nobiles & egregios  
 in re militari viros, ut de superioribus sileamus,  
 nostra ætate protulit, plures litterarum studiis in om-  
 ni genere doctrinæ præclaros, quorum pars diem  
 suum obiit, pars Dei beneficentia ad communem  
 eloquentiæ & sapientiæ usum nobis reservavit; qui

T. Livius lib.  
 28.

cùm sint vobis notissimi, eorum nomina, ne eis blandiri videar, prætermitto. Vnum non præteribo, quod forsitan multis ignotum est, Franciscum Petrarcham virum doctissimum ac sapientissimum, cuius ingenio plurimum debemus, patria, ut ipse testatur, Aretinum fuisse. Itaque maximas civitati illi docti omnes & habere & agere gratias debent, quæ Musarum domicilium videtur nostris temporibus extitisse. Certè ab eis humanitatis & sapientiæ studia exulta maximè sunt atque amplificata. Et genere Leonardus minimè claro fuit. Sed quod natura non attulit, virtus elargita est. A se ipso enim nominis claritatem ac generis nobilitatem traxit. quæ vera est & perfecta nobilitas. In quo enim virtutum splendor consistit, in eo ingenua ac perfecta nobilitas inest, non exterius proficiscens, sed nascens domi, non alieno sed proprio beneficio parta, non majorum opera, sed suis vigiliis, laboribus, studiis acquisita. Nam qui genus jactat suum, ut tragicus inquit, aliena laudat. Et quidem quanto præstat lumen præbere aliis quàm alieno splendore lucere, tanto satius est sibi peperisse nobilitatem quàm alterius munere accepisse; si tamen accipi potest, & non sibi quisque nobilitatem comparat virtutum gloria & rectè factis, ex quibus maximè nobilitatis aura resplendet. Itaque sive, ut Aristoteli videtur, ei nobilitas virtute & opibus comparatur, hic egregiè nobilis evasit; sive ut Stoicis placet, sola virtus illam parit, satis abundè nobilitatus est & claritate nominis per ora omnium pervulgatus. Ab ineunte adolescentia Latinas litteras in patria percepit; & cum animo majora quædam conciperet, Florentiam se contulit, in qua uberior discendi facultas & amplior consequendæ laudis campus esse videbatur. Ibi quadriennio juri civili operam dedit. Quo in studio cum plurimum profecisset, supervenit Manuel Chry-

soloras ex urbe Constantinopoli, Græcorum omnium  
 sapientia & eloquentia tum facile princeps, quæ  
 studia Græcarum litterarum, quæ jamdiu in Italia  
 oblita & sepulta erant, apud nos primus excitavit.  
 Et cum plures ad ejus doctrinam confluerent, ha-  
 berenturque cætus præstantiores, Leonardus illo-  
 rum gloria commotus, cum in eo studio magnam  
 laudem propositam videret, posthabita juris civilis  
 cura, adhæsit Manuelli; brevisque effecit ut omnes  
 coauditores tum bonitate ingenii, tum studio dili-  
 genti facile superaret. Exercebatur tum Latina in  
 Græcum sermonem, tum Græca in Latinum conver-  
 tens. Sed cum utraque in lingua adeo profecisset ut  
 eloquentia excelleret omnes qui tum doctissimi habe-  
 bantur, labores verò suos tantummodo laudari, nihil  
 verò sibi afferre emolumentum cerneret, & premeba-  
 tur inopia, ut qui tenui esset censu, rediit ad disci-  
 plinas juris civilis, quæ suis cultoribus opes & di-  
 vitias pollicentur. Querebatur sæpe mecum pro no-  
 stra familiaritate se invitum & necessitate compul-  
 sum relinquere ea studia ex quibus magnam sibi  
 gloriam paratam omnes prædicabant, & ad eam  
 scientiam quæ jam antiquasset se everti; præsertim  
 cum tanquam studiorum suorum primitias jam qua-  
 dam opuscula edidisset summa cum eloquentia &  
 omnium commendatione. Accidit interea ut ego ad  
 curiam Romanam proficiscerer, Bonifacio IX. Pon-  
 tifice, fieremque paulò post quàm accesseram littera-  
 rum apostolicarum scriptor. quod officium & utile  
 est & honestati dignitatiq; conjunctum. Successit  
 anno post Innocentius VII. defuncto Bonifacio in  
 pontificatu. Et cum antea Leonardus, qui illam le-  
 gum molestiam effugere cupiebat, primò verbis,  
 deinde litteris egisset mecum ut curarem ut in cu-  
 riam accersiretur ad aliquod exercitium, ex quo vi-  
 etum honestum posset consequi, mihi verò cum his



qui essent Innocentio proximi summa esset necessitudo, laudando Leonardum, & orationis elegantiam virtutemque præ ceteris extollendo, ac simul quædam ejus scripta ostentando, effeci ut is, licet ignotus tum Pontifici tum ceteris, ab Innocentio Secretarius fieret, duorum præsertim opera qui Pontifici etiam carissimi, mihi que satisfacere cupiebant. Qua in re multas ac graves contentiones suscepi adversus quosdam qui illud idem summopere ambiabant. Sed ego omnia pro amico subeunda esse judicans, & illius desiderio satisfacere cupiens, nullum laborem, nullam diminutionem honorum, nullam malivolentiam pro nostra conjunctione declinandam putavi. Meis itaque litteris accitus ad Urbem, pauloque post meorum opera Secretarius effectus, ostendit vera esse quæ à me de eo ferebantur; brevique se in Pontificis, qui humanissimus erat, benevolentiam insinuans, illi acceptissimus fuit. Eodemque officio, quod semper summa integritate, fide, innocentia administravit, Gregorii quoque atque Alexandri & Iohannis tempore, cujus pontificatus questuosissimus fuit, functus est, multasque tum pecunias Iohannis indulgentia contraxit. Sed cum Iohannes esset Bononiæ, Leonardus accitus est à vobis in Cancellarium. quo in officio paucis mensibus præfuit. Nam tum novi exercitii difficultas, tum majoris spes emolumenti, eum coegerunt ut abdicato officio, ad prioris exercitii vitam rediret. Romanam, in qua Iohannes Pontifex aderat, profectus est. Pauloque post uxorem duxit adolescentem optimam, ex qua unicum filium suscepit, quem mæstum & sordidatum flentemque videtis. Tum ad Urbem rediens, Pontificem sequutus est quoad Constantia civitate Germaniæ, quò Concilii causa accesserat, auferet. Hic cum cerneret Iohannem præcipitem se agere, multa verò tum pericula illum sequen-

Vide Aretin.  
lib. 1. epist. 1.  
2.

Vide Aretin.  
lib. 3. epist.  
12.

tibus impendere viderentur, finem illius sequenti sibi constituens, Florentiam reversus est. Et cum literis ac scribendi rure contentus, ac honesto otio frueretur, iterum cancellaria ei à vobis demandata est; quæ summa cum laude atque auctoritate usque ad extremum vitæ tempus ab eo gesta est. Functus est etiam summis magistratibus civitatis. Nam hoc ex Decemviris summo civium favore factus fuit, vexillumque societatis tribus gessit, ac ex Prioribus unus creatus est. Ad id quoque (quod præcipuum est in civitate) vexillum pervenisset, nisi mors vendi finem attulisset; quæ licet in ætate provec-ta contigerit, tamen acerba dici potest atque immatura, si virtutes ejus consideretis, si mores, si scribendi utilitatem, si gravitatem, si prudentiam, si otium quod semper ad scribendi curam utilitatemque viventium conferēbat. Quæ omnia nobis dies unus abstulit, eumque abstulit quem, si fas esset optare, oportebat fieri immortalem. Quia autem duo genera sunt hominum qui procul à laude militari vitam honestam sequuntur, alterum eorum qui animum suum applicant ad rempub. gubernandam, inque ea administranda labores pro communi utilitate suscipiunt, alterum eorum qui otio dediti litterarum quiescunt procul à turbine populari, utrumque Leonardus noster est summa cum laude complexus. Nam otii fructus uberrimos nobis & quamplurima ingenii sui monumenta reliquit. Rei etiam publicæ curas gubernandæ adiit; in qua ita versatus est ut summa continentia, integritate, & virtute, atque innocentia nemini cesserit, & præstiterit multis. Magna hæc summi ingenii argumenta sunt & præstantis naturæ insignia, cum in otio tantum reipub. muneribus sit impartitus quantum qui nihil aliud agunt, & tanta conscripserit quanta ne illi quidem assequuntur qui procul à reip. laboribus summa in quiete

quiere consenscunt. Vita fuit per omnem ætatem  
parcissima ac severa. Summa vixit æquitate, conti-  
nentia animi, modestia, justitia, ut qui neminem un-  
quam lacefferit injuria, nemini maledixerit. Amicis  
præsto erat, si quid ejus opera uti vellent. Pruden-  
tia ac gravitas in eo vixit singularis. Quod ei tem-  
pus à literis supererat & à reip. negotiis, tum pri-  
vatæ rei impartiebat, tum cœtui amicorum, quibus  
admodum delectatus. Domi severus, foris humanus  
fuit. Morosior paulùm difficiliorque habitus est  
quàm studia humanitatis & doctissimi viri ratio po-  
stulare viderentur. Sed morositatem parcitatemque  
à natura contraxit, virtutes sibi studia ac scribendi  
agendique diligentiaque perpererunt. Verùm quod  
multis vitio tribuitur, id ego in viris doctis minimè  
judico reprehendendum. Non enim aliquando non  
sibi nasci hominis est virtute præstantis, sed trunci  
potiùs ac stipitis insulsi. Quidam tarditate mentis  
& stupore quodam pigrescunt, nihil sentientes,  
etiamli more bubulorum stimulo pungantur, quod  
non virtutis videtur esse, sed stupiditatis. Nam ex-  
citata ingenia prompta vigentia necesse est com-  
moveri quandoque ad breve tempus; & aut aliorum  
timiditate aut injuria aut errore subita quadam in-  
dignatione excitari, id magis naturæ ingentis ac  
perspicacitatis esse videtur quàm aut dissimulare  
passionem, ut multorum qui se bonos haberi vo-  
lunt mos est, aut omnino non commoveri, quod  
nulla virtus præstat, sed mores aut callidi aut he-  
betes sensus aut ignari. Non autem subita efferves-  
centia & repentina quædam indignatio, quæ ne-  
mini noceat, est vituperanda, sed potiùs commen-  
danda. Excitat enim animum, & ingenium solet  
reddere perspicacius. Hæc vitæ ratio viri optimi  
fuit, quam paucis prosequuti sumus, ut ad ea quæ  
majora sunt, quæque mihi secundo loco proposue-

R.

ram dicenda, veniamus. Cùm adhuc Græcis aucto-  
ribus Florentiæ vacaret, transtulit sermonem quen-  
dam beati Basilii quem habuit ad discipulos insti-  
tuendos mira dicendi suavitate, ut non traducta ora-  
tio, sed à se profecta videretur. Deinde summa ele-  
gantia dialogum quendam edidit, in quo cùm primo  
libro viros præstantissimos doctissimosque Dantem,  
Franciscum Petrarcham, Iohannem Boccacium, eo-  
rumque doctrinam, eloquentiam, opera impugnasset,  
secundo in superioris excusationem ipsorum & vir-  
tus laudata est. Et vita Tiberii & Cai Gracchorum,  
Pauli Æmilii, Catonis posterioris, Sertorii quoque  
& Ciceronis ex Plutarcho Latinas fecit. Sed vitam  
Ciceronis non tamquam interpres sed velut à se  
editam composuit, multa addens à Plutarcho præ-  
termissa. De laudibus hujus florentissimæ urbis edi-  
dit librum unum. Transtulit præterea libellum Xe-  
nophontis de tyranno, ex Platone verò Gorgiam &  
Phædonem & epistolas quasdam. Ex Aristotele au-  
tem æconomicam, in cujus explanationem quædam  
edidit, ac ethicorum & politicorum libros, in quibus  
rejecta barbarie pravorum translatorum, ita ad ver-  
bum ferè sententias exprimit ut facilè intelli-  
queant à Latinis. Insuper Aristotelis vitam scripsit  
multis ex auctoribus tam Græcis quàm Latinis con-  
tractam. Commentaria quoque primi libri belli Pu-  
nici ex Polybio Græco historico duobus libris ex-  
pressa reliquit. Ex Procopio historiam Gotthorum  
quatuor libris complexus est. Volumen quoque  
epistolarum & plura opuscula, velut de militia, con-  
tra hypocritas nostri temporis, separatim historiam,  
multaque præterea composuit in quibus dicendi ele-  
gantia & summa ingenii vis apparet. Sed quod sibi  
summam etiam laudem omnibus affert seculis, hi-  
storia est de rebus Florentinorum duodecim libris  
scripta. Orsus est eam paulò supra trecentessimam

annum, à quo tempore res populi Florentini certiores ex superiorum scriptis reperiuntur, opus certe luculentum, & quo fama nomenque Florentinæ urbis in æternum ad posteros certo & maximæ auctoritatis scriptore demandabitur. Non autem quod proposuerat ad extremum deduxit. Nam cum constitueret ad hæc nostra tempora usque historiam prosequi, bella solummodo quæ cum priori Duce Mediolani gessimus conscripsit, reliqua perficere conantem mors interrupit. Hujus historiæ causa singulare à vobis est ei virtutis præmium constitutum, quod & gratæ & ob susceptum beneficium civitatis memoriam præberet & alios excitaret ad commendanda gesta ejus urbis quæ tam memorem se præstaret bene erga patriam meritorum. O civitatem egregiam! O rempub. & summis laudibus extollendam! O dignam maximo imperio urbem, in qua tanta doctrinæ præmia exposita esse videamus! Neque ullam esse rempublicam, ullum populum, ullos Principes, apud quos studiis humanitatis & eloquentiæ deditis majora virtutis munera sint concessa, apud quos tantus habeatur optimarum artium studii honor. Nam cum primum domicilium Leonardus Florentiæ elegit historiamque cepit contexere, civitate à vobis & certa census quantitate, quæ etiam ad filios maneret, in civitate donatus est. Eadem immunitas & Carolo quoque Aretino summa eloquentia atque sapientia prædito postmodum concessa. Postremo quoque & mihi, licet in doctorum aut eloquentium numero minimè sim censendus. Sed tamen mihi, eadem similitudinis studiorum de me concepta opinione, idem muneris tribuistis. Leonardi verò, quæ antè ad tempus concessa erat, immunitatem in laborum suorum retributionem perpetuam effecistis. Tantum abest ut hanc rempub. pœniteat gratias beneficii reddidisse

ut illud majore liberalitate voluerit esse accumulatum. Vbinam gentium audimus tanta beneficia ciues, tam propensam in ornandis viris excellentibus civitatem, tanta suffragia eloquentiæ studiis impensa? Hæc verò præstans humanitate ceteris gentibus communis bonarum artium patria dici debet & dicendi artis officina, quæ humanitatis doctrina præditos recipit, colit, fovet, & summis honoribus ornatur, tum dum spiritum trahunt, tum etiam dum vita sunt functi. Apud Athenienses olim magna copia fuit scriptorum qui eorum res gestas suis vigilis ornarunt, tum Græci, tum peregrini; sed nullum eorum legimus aliqua ab Atheniensibus suorum laborum præmia publicè consequutum. Romanorum facta ac dicta multa præclara ingenia conscripserunt. Ennium tantùm civitate donatum accepimus opera P. Scipionis. Nullum ex reliquis, cum plures fuerint, comperimus aliquo à repub. munere affectum, cum sua in tradendo posteritati Romanorum memoria vitam & operam collocassent. Hæc sola inter ceteras urbes, tamquam sapientiæ domicilium & studiorum optimorum auctrix, admirabili quadam virtute & animi excellentia Pierum, qui primus ejus gesta suis scriptis in lucem prodere est aggressus, maxima beneficia in vivum, singulares honores in mortuum collocavit, ostenditque quam accepti sibi essent quorum opera in suo honore & laudibus versaretur. Magnum hoc in reliquis incitamentum ad capessendum id doctrinæ genus in quo qui elaborant, maxima suorum laborum vigiliarumque sunt præmia consecuti. Major illorum consolatio quibus civitatis indulgentia fuit tam propensa ut singuli munere fungerentur maxima civium gloria, quorum nomen reddetur scriptorum studiis & tali beneficentia immortale. Sed quoniam Leonardus iter nobis ostendit, tum virtutibus suis, tum ingenii

præstantia, ad laudem & gloriam consequendam, hortor eos quorum vitæ ratio est à litteris aliena ut ejus virtutem, continentiam, probitatem, caritatem erga patriam imitentur. Licet enim etiam sine litteris civem esse præclarum & eum rempublici consilio atque opere juvare. Nam & apud præfatos illos & apud posteriores fuere permulti absque ulla doctrina excellenti virtute præditi, qui res & bello & pace præclaras magna cum laude gesserunt. Et cum virtutis laus in actione consistat, continentiam, probitatem, innocentiam, animum in consulendo liberum, in agendo diligentem potius quam scientiam civitas desiderare atque appetere videtur. Verùm litteræ si accedant, minimè sunt repudiandæ, sed appetendæ potius si desint, quoniam afferunt summum ornamentum earum cultoribus, & ad res agendas doctiores ac perfectiores solent reddere. Illos verò quibus Musæ sunt cordi, quique bonarum artium studiis deduntur, obsecro ut eum vitæ cursum quem cœperunt, dicendo scribendoque prosequi omni conatu atque animi contentione nitantur, sectenturque illius vestigia cujus laudes in cælum consensu omnium efferuntur, in primis autem virtutem colant & habeant vitæ ducem, sine qua & litteræ contemnendæ sunt, & doctrina omnis videtur esse repudianda. Nam quibus plura est scientia quam virtutis indagatio, ii viri evadunt callidi & perniciosi & tum reipublici tum ceteris inutiles. Logè enim errant illi à quorum mentibus abest virtus suorum actuum atque operum moderatrix, doctrinamque ad salutem hominum comparatam ad perniciem gentium convertunt. Re enim honesta abutuntur ad scelus & perfidiam, & tamquam virginem castam videntur prostituere in nefarios usus. Itaque omnes qui viri magni & ceteris præstantiores esse volunt nomenque suum reddere

clarum, litterarum studiis & doctrinæ exercitiis virtutum adjungant, eaque ad reipub. & ad singulorum utilitatem conferant. Præstat enim indoctum civem esse quàm malum, minùsque malus civis rudis quàm doctus qui reipubl. perturbat & nocet civitati. Qui autem hæc duo enixè amplectuntur, necesse est ut primùm beata vita fruantur, quæ virtute & rectè factis acquiritur, tum verò assequantur memoriam nominis sempiternam, postremo felicitatem futuræ vitæ, quæ est vera & perfecta felicitas, quamque omnes debemus appetere, consequuntur.

